

*A selection of the Latin text available commercially*

*For the English translation see the text available at  
the Institute of Jesuit Sources  
at the Institute for Advanced Jesuit Studies  
Boston College*

*<http://jesuitsources.bc.edu/the-life-of-ignatius-of-loyola/>*

\*\*\*

## **The Life of Ignatius of Loyola**

### **Pedro de Ribadeneira's Latin Version in Acceleration Reader Format**

edited by Claude Pavur

© 2014 Acceleration Reader by Claude Pavur

A full English translation of the entire work is available at the Institute of Jesuit Sources  
at the Institute of Advance Jesuit Studies (Boston College).

*<http://jesuitsources.bc.edu/the-life-of-ignatius-of-loyola/>*

Word-count: over 100,000.

## Prefatory Note from the Editor

After translating Cándido Dalmases's critical text of Pedro de Ribadeneira's *Life of Ignatius of Loyola* (now available in paperback at the Institute for Advanced Jesuit Studies, <http://jesuitsources.bc.edu/the-life-of-ignatius-of-loyola/>), I thought it worthwhile to make Ribadeneira's Latin text of 1586 available in Acceleration Reader format for those wanting to learn to read Renaissance Latin. I have kept here the new scheme of reference numbers so that corresponding English passages in the IJS translation can more easily be found. There are a few corrections to the critical Latin text: these are indicated by **[MH: ]**. This designation indicates the relevant volume 93 of the Monumenta Historica Societatis Iesu. For a full discussion of the work with notes, appendices, and index, readers should consult Pedro de Ribadeneira, S.J., *The Life of Ignatius of Loyola*, translated by Claude Pavur, S.J. (Saint Louis: The Institute of Jesuit Sources, 2014). I hope that this additional resource will enable new generations of Latinists to learn something about the abundant heritage of post-classical Latinity.

## **Introductory Note for Beginners: Acceleration Readers**

We learn to master short sentences before we gain a ready ability to understand and produce long ones. You should at first take some satisfaction in understanding of any of the phrases of this Acceleration Reader, whether or not the entire meaning of the context is clear to you. Let the larger sense emerge as you try to extend your understanding to the adjoining phrases. Then, once you have understood the parts, you should rehearse the act of “getting the meaning” of the full sentences in a smooth way.

All sentences are words that “hang together.” Long sentences have many sub-groups that are meaningful as phrases or as clues for the larger structure of meaning. This Acceleration Reader format offers a device by which the subgroups can be highlighted and then integrated in your mind as you connect the phrases together.

Think of this old joke:

**Time flies like an arrow.**

**Fruit flies like a banana.**

What is going on in this witticism?

Unless you mentally register the first two words of the second sentence as the subject of the sentence, you tend to be tricked into misunderstanding it on the model of the first sentence, in which only the first word must be registered as the subject.

When the proper subject is registered, you can more easily also register the third word like as a preposition (first sentence) or as a verb (second sentence). This process of ongoing, self-correcting registration of meanings and functions is essential in learning to understand communications.

In an Acceleration Reader, many times, but not always, the subject, or direct object, or indirect object, or verb, or conjunction is set off on a line by itself. The point in this kind of division is to facilitate your practicing that essential process of registering the word as something that has its own special function in the sentence. But there are also larger patterns that should be practiced, so you will find various other structures sectioned off on individual lines as well, e.g., *consulem invenêrunt* is an example of the syntactic pattern [direct object - verb].

The vertical arrangement here may seem unusual at first, but it is not very far from the very popular columnar layouts in magazines and newspapers.

Your task in reading is to integrate the larger idea of each sentence as you register the meanings and functions of the individual words and phrases.

Latin case-endings are the major clues that help you to register the functions (or syntax) of the nouns and pronouns of sentences. They also give you clues about which adjectives and adjectival phrases “hook onto” which nouns and pronouns.

Of course, the sentences could have been divided up differently than shown here. I have not tried for perfect consistency, but rather for shorter rather than longer units of meaning, in order to make things easier for beginners. Sometimes, however, three or more short lines will have to be understood as a unit. The parts nevertheless remain fragments for which some registering of meaning should be practiced. For example, if there is a very long genitive expression like “of those preparing to face their enemy near the river,” then it is important to learn to perceive and understand this collocation of words whether or not the reader yet has the noun to which the genitive phrase belongs. In Latin, that noun may or may not be immediately attached.

Keep in mind: *Only if readers learn to register the meanings and functions of the parts of a sentence bit-by-bit in its unfolding will they have the satisfactions that accompany the act of smooth and fluent reading.*

\*\*\*

## Life of Ignatius: Preface

[1] CARISSIMIS IN CHRISTO FRATRIBUS  
SOCIETATIS IESU,  
Petrus Ribadeneira salutem.

[2] 1. Vitam Ignatii Loiolae,  
nostrae Societatis auctoris  
omniumque nostrum parentis optimi,  
scribere instituto.

Magna certe provincia,  
tantum excellentium virtutum splendorem  
verbis non obscurare,  
et parem rebus descriptionem afferre.

Sed in hoc tamen onere ferendo,  
multa me sane consolantur.

Primum, quod illud ego,  
non mea sponte suscepi,  
sed illius voluntate adductus,  
cuius apud me auctoritas est,  
sicut debet esse, gravissima.

Nam R.P.Franciscus Borgia,  
Societatis nostrae praepositus generalis,  
hoc mihi onus imposuit,  
cuius ego vocem Christi vocem putare,  
eiusque nutus intueri,  
summa religione atque observantia debeo.

Deinde, quod ad Deum,  
qui mirabilis in sanctis suis est,  
et fons atque origo sanctitatis omnis,  
ex hoc meo labore,  
laudis aliquid perventurum confido.

Ille est enim,  
qui religiosa omnia instituta stabilivit,  
et viam arctam et portam angustam esse  
ad beatitudinem  
docuit;

et ne labore aut perveniendi difficultate deterriti,  
animos desponderemus,  
ipsemet,  
qui et ostium et via est,  
dux etiam noster esse dignatus est;

et suo exemplo,  
tum compendiarium et rectam,  
tum vero facilem viam atque expeditam nobis efficere.

Ille admirabili providentia,  
omnibus propemodum saeculis atque aetatibus,  
divinos quosdam viros,  
quasi coelestes faces,  
in terras mittit;  
ut singulari evangelicae disciplinae et christianae perfectionis ardore flagrantem,  
ignem illum,  
quem mittere ipse in terram venit,  
exsuscitent,  
et inflammatis vocibus atque exemplis,  
extingui non sinant.

Ille Ignatium donavit nobis.

Quare de Ignatio quae a nobis dicuntur,  
a Deo profecta,  
in Deum omnia referantur;  
cuius tanta est erga omnes homines bonitas,  
ut eorum velit esse merita,  
quae sunt ipsius dona.

Quod sancti ipsi agnoscunt et testantur,  
cum ante illius thronum coronas suas capitibus detractas reverenter deponunt.

[3] 2. Huc accedit  
cum aliorum,  
quos permultos esse intelligo,  
tum vero omnium vestrum,  
fratres,  
incensum quoddam haec audiendi legendique studium;

cui ego quidem,  
tam honesto praesertim ac pio,  
satisfacere pro mea parte vehementer cupio.

Quis enim  
cum  
extremis iis calamitosissimisque temporibus,  
hanc Societatem  
Dei Opt. Max. beneficio constitutam,  
et tam longe lateque disseminatam,  
atque brevissimo tempore  
toto propemodum terrarum orbe propagatam intelligat,  
non iure  
eius ortum, initia, progressionem  
requirat?

[4] 3. Atque haec quidem ratio, fratres,  
cum ceteris nobis communis est;  
illa praecipua,  
ut quem ducem sequimur,  
eius quoque virtutem imitemur.

Ut enim illustrium familiarum alumni [MH: almni],  
suos quique duces sibi ante oculos ponunt,  
ut ad eorum normam,  
vitam omnem suam et actiones dirigant;

sic nos Ignatium,  
ducem nobis divinitus datum,  
et sacrae militiae nostrae antesignanum et principem proponere nobis debemus,  
et eminentem illius omnium virtutum formam,



moribus si minus exprimere,  
certe quoad possumus adumbrare.

Erit etiam fortasse noster hic  
vobis non solum utilis,  
sed etiam non iniucundus labor.

Nam qui alicuius vestigia persequi cupiunt,  
vitae quoque illius explicatione delectantur;

et cum voluptate audimus,  
quae cum fructu imitamur.

[5] 4. Quid illa,  
quae extremo loco a me posita,  
non extrema apud me debet esse,  
grati videlicet animi pietas,  
et iucunda quaedam eius viri recordatio,  
qui me in Christo  
genuit, aluit, educavit?  
cuius ego piis lacrymis ac precibus  
meam vitam et salutem  
acceptam ferre plane debeo?

Quamobrem illius vitae memoriam,  
iam prope senescentem,  
eo etiam ab oblivione hominum  
vindicare conabor;  
ut  
quoniam parem beneficii gratiam referre  
nequeo,  
referam certe  
quantam maximam possum.

Erit igitur meus hic scribendi labor,  
Deo, ut spero, non ingratus,  
Ignatio ipsi debitus,  
vobis, fratres, forsitan fructuosus,  
alienis minime, ut opinor, molestus;

mihi quidem,  
etsi propter corporis imbecillitatem gravis,  
propter officium tamen pietatis iucundus;  
quem spero equidem,  
hac tantarum rerum compensatione,  
leviorem futurum.

[6] 5. Et quoniam historiae prima lex veritas est,  
hoc in primis profiteor,  
me nihil inexplorati scripturum;  
sed res mihi notas,  
certas testatasque  
literis proditurum.

Ea enim in medium afferemus,  
quae nos ipsi,  
aut in Ignatio vidimus,  
aut ex ipso aliquando audivimus.

Siquidem  
tanta erga me Pater misericordiarum benignitate  
usus est,  
ut me puerum  
ac vix quatuordecim annos natum,  
nullo meo merito  
(nondum Societate nostra a Paulo III Pontif. Max. confirmata)  
ad cognitionem Ignatii,  
atque ad eam familiaritatem adduceret,  
ut ab eius latere non discederem;  
sed domi, foris,  
omnibus in rebus illi praesto essem,  
eiusque dicta, facta, vultum, motus observarem,  
magno certe cum animi fructu,  
magna cum admiratione.

Quae quidem  
tanto in me quotidie magis augebatur,  
quanto et Ignatii virtus in singulos dies magis enitebat,

et mihi eius splendorem,  
aetate progrediente,  
perspicere magis licebat.

Propter hanc igitur diuturnam consuetudinem  
et familiaritatem,  
non solum exteriora et aperta  
cum multis,  
verum etiam interiora et recondita quaedam Ignatii  
cum paucis,  
ex ipso saepe cognovimus.

Deinde ea dicemus  
quae  
assidua multorum annorum flagitatione victus,  
et omnium fere patrum contentione,  
ipsemet Pater,  
de vita a se ante acta  
P. Ludovico Gonzali aperuit,  
idque eo anno,  
qui eius mortem antecessit,  
meditato, magnoque consilio fecit.

[7] 6. Nam ex quo nostra primum Societas est instituta,  
et clarissimi omnium virtutum radii,  
quibus Deus animam servi sui Ignatii collustraverat,  
erumpere atque splendere caeperunt,  
magno desiderio omnes eius filii affecti sumus ea cognoscendi quae ad vitam patris nostri moresque pertinebant.

Quibus videlicet eum rationibus Deus evocasset,  
quibus initiis, mediis, profectibus  
purgasset, illuminasset, perfecisset.

Aequum enim et rationi consentaneum videbatur,  
eos qui spiritalis huius aedificii lapides essent,  
scire atque omnino intelligere,  
quibus fundamentis hoc ipsum aedificium niteretur;  
et eius potissimum Patris vestigiis insistere,  
quem coelestis doctrinae magistrum

atque huius viae ducem  
a Deo accepissent.

Neque vero fieri poterat ut probe imitaremur,  
quae plene nobis cognita non essent.

Quamobrem,  
summa diligentia res omnes Ignatii investigavimus,  
et ex eo ipso  
preteritae vitae rationes tantopere audire  
cupivimus, postulavimus, efflagitavimus;

ipse vero  
continuis precibus et ardenti nostrorum studio  
cessit tandem,  
et se vinci passus est.

Neque enim quae servis suis Deus confert beneficia,  
ipsis solis confert,  
sed ad multorum etiam utilitatem;

et quanvis illi ipsi qui accipiunt,  
occultent saepe quae accipiunt,  
et silentii et humilitatis velo tegant,  
Deus tamen illos interdum movet  
et ad proferendum impellit.

Ex quo cum beatus Franciscus sacra stigmata,  
quibus mirabiliter fuerat insignitus,  
occultare primum quidem vellet,  
postea tamen dubitare coepit,  
eane prodere Deo gratius futurum esset;

quod cum in consultationem sanctus pater adduxisset,  
et ex sociis suis quaesivisset,  
num illustrationem quandam,  
quam a Deo acceperat,  
patefacere deberet,  
an dissimulare ac silentio premere

quidam ex sociis respondit,  
quod a D. Bonaventura iis verbis memoriae proditum est:

“Frater,  
non solum propter te,  
sed etiam propter alios,  
scias tibi ostendi aliquando sacramenta divina;

timendum propterea iure videtur,  
ne,  
si  
quod pluribus profuturum accepisti  
celaveris,  
pro talento abscondito  
reprehensibilis iudicaris.”

[8] 7. Haec igitur causa fuit,  
cur permulti sanctissimi viri ea promerent  
et in hominum utilitatem proferrent,  
quae occulte,  
in secreto cordis atque intimis animi sensibus  
a Deo acceperant.

Immo vero plurimi haec ipsa conscripserunt,  
et liquidas purissimasque animi voluptates,  
spiritus suavitates,  
divina plane et quae omnem sensum exuperant solatia,  
quibus benignissimus Dominus eos  
excitabat, sustentabat, inebriabat,  
et in se (ut ita dicam) transformabat,  
literis etiam consignarunt.

Quae omnia in tenebris certe iacerent,  
nisi illi ipsi in lucem protulissent;  
et nisi Deus,  
qui tam liberalis erga illos fuit,  
summa etiam in nos benignitate,  
sanctos suos permovisset,  
ut

quae in tenebris acceperant,  
in lumine dicerent,  
et quae in aure audiissent,  
praedicarent super tecta.

Quamobrem,  
hanc Ignatio etiam nostro mentem iniecit  
autorque fuit,  
ut de se ipse ea Ignatii ore exceptit,  
et totidem ferme verbis perscripsit.

Eaque omnia,  
quemadmodum tunc quidem scripta sunt,  
apud me habeo.

[9] 8. Postremo ea etiam narrabimus,  
quae a R.P. Jacobo Layne,  
Societatis nostrae preposito generali,  
vel sermone,  
vel scripto accepimus;

qui propter arcitissimam coniunctionem et summam cum Ignatio societatem,  
in perferendis pro Christo et eius ecclesia immensis prope laboribus,  
ipsis illis primis initiis,  
cum esset tempore ex sociis fere primus ex decem,  
amore omnium carissimus filius,  
multa vidit, multa notavit,  
eaque in quotidiano sermone,  
optanti mihi saepe narravit.

[10] 9. Ex iis igitur fontibus,  
haec nostra manarunt.

Quae vero  
incertis autoribus, aut non satis locupletibus  
dici poterant,  
ea ne scribenda quidem putavimus.

Est enim persuasum nobis,

cum in omni re mentiri turpe esse,  
tum vero in sanctorum vita referenda turpissimum.

Nam neque Deus,  
ad gloriam suam illustrandam,  
mendaciis nostris indiget;

neque primam et summam veritatem,  
falsis narrationibus et commentitiis  
honorare velle,  
fas est.

Atque hoc etiam spe aggredior maiore  
ad scribendum,  
quia non de antiquissimi alicuius viri sanctitate  
mihi agendum est,  
in quo veritati quicquam affingere liceat,  
nemine propter vetustatem iam refellente;

sed haec iis cognoscenda proferimus,  
quorum permulti coniunctissime cum eo ipso,  
de quo loquimur,  
familiarissimeque vixerunt;

ut summum virum  
iis, qui illum non viderunt,  
eorum quibus ille notissimus fuit virorum  
et praesentium  
testimonio commendemus.

[11] 10. De instituto autem nostro  
et omni scribendi ratione,  
paucis accipite.

Ego cum initio proposuissem  
Ignatii tantummodo vitam conscribere,  
et praeclara illius exempla  
hominum memoriae commendare,  
postea tamen animo plus etiam aliquanto suscepi.

Nam quod viderem  
ab optimis viris nostrique amantissimis desiderari,  
et Societatis nostrae ortus atque progressus cognitionem  
requiri,  
illud etiam attingere decrevi  
breviterque explicare,  
Societatem quam longe Ignatius lateque propagaverit,  
nonnullaque complecti eorum,  
quae in universa Societate,  
dum ille viveret,  
scriptione digna mihi visa sunt.

Quae quidem,  
quoniam illo vel duce gesta,  
vel defensore propulsata,  
vel moderatore constituta sunt,  
implicata mihi cum eius vita connexaque  
ita videbantur,  
ut seiungi commode  
secernique non possent.

Neque mihi tamen hoc propositum est,  
omnia ut persequar,  
sed ut pauca quaedam deligam,  
quae vel illustriora sunt,  
vel Societatis quasi cursum declarant;  
et quae  
nisi nunc recenti memoria literis consignata sint,  
oblivione forsitan obruantur.

De eorum patrum vita,  
qui primi Ignatii filii ac socii fuerunt,  
et vivo Ignatio mortui sunt,  
de nonnullis praeterea,  
qui pro Christi fide amplificanda sanguinem profuderunt,  
singulatim mentionem faciemus;



de illis,  
quia nos genuerunt in Christo;  
de his,  
quia mortem naturae debitam,  
pro Christo potissimum reddiderunt.

De iis,  
qui adhuc vivunt parce loquimur,  
de mortuis paulo plenius.

Ante mortem,  
ait Sapiens,  
ne laudaveris hominem quemquam;  
quasi dicat,  
lauda post vitam,  
magnifica post consummationem.

[12] 11. Reliquum est,  
fratres,  
ut Deum precemur,  
nostris ut coeptis adspiret,  
et hos libros quinque  
quasi minuta quinque  
pie a nobis ad Ecclesiae sanctae aedificationem,  
in eius gazophylatium oblata,  
benigne ad gloriam suam  
atque ad hominum salutem utilitatemque  
suscipiat.

Vos vero,  
fratres,  
pro fraterna et mutua caritate nostra  
vehementer obsecro,  
ut a Deo impetretis,  
ut mihi tribuat summum hoc beneficium,  
ut Ignatii morum sanctitatem  
aliqua saltem ex parte  
possim imitari.

Cuius quidem,  
si in se deprimendo, constantia;  
in castigando, severitas;  
in periculis, fortitudo;  
in turbulentis rebus, tranquillitas;  
in laetis, moderatio;  
in omnibus pax et gaudium in Spiritu Sancto;

si denique  
lectissimus virtutum eius omnium comitatus  
assidue nobis ante oculos versabitur,  
rectissimam habebimus regulam atque certissimam,  
ad quam non solum mores nostros,  
vitamque conformare,  
sed etiam  
verum germanumque nostrae vocationis spiritum  
examinare possimus;  
cuius solida effigies et expressa  
in illius vita  
plane conspicitur.

**Book I**  
**VITAE IGNATHII LOIOLAE**

LIBER PRIMUS

**ORTUS IGNATHII ET VITA, ANTEQUAM A SAECULI VANITATE CONVERTERETUR ~ CAPUT  
PRIMUM**

[13] 1. IGNATIUS Loiola,  
Societatis Iesu auctor atque institutor,  
nobili loco natus est  
in ea Hispaniae atque Cantabriae parte,  
quae Guipuzcoa vel Provincia vulgo dicitur,  
anno humanae salutis 1491,  
Innocentio VIII Pont. Max.,  
Federico III Caesare Augusto,  
Ferdinando atque Isabella,  
Catholicis Hispaniarum regibus.

Patrem habuit  
Beltranum, Loiolae dominum,  
Loioleae familiae perantiquae atque illustris caput;

matrem vero Marinam Sonem,  
aeque nobilem foeminam,  
quae filias quinque genuit, filios octo  
ex quibus Ignatium postremum  
foelici partu enixa est.

[14] 2. Qui  
puerili aetate transacta,  
in curiam Ferdinandi regis  
a parentibus missus est.

Adolescentiam autem ingressus,  
et bellica gloria et fratrum aemulatione commotus,  
in eo multum operae ponebat,  
ut rei militaris laude esset illustris.

[15] 3. Anno igitur Domini 1521,  
cum pompeiopolitanam arcem  
galli oppugnarent vehementius  
(est autem Pompeiopolis civitas  
regni Navarrae caput)  
ipsique duces, re desperata,  
deditionem cogitarent,  
eius potissimum opera factum est,  
ut res differretur  
et acrius resisteretur ab hispanis.

Sed cum omnes ad oppugnationem machinas  
galli admovissent,  
et tormentis continenter moenia verberarent,  
aenea pila bombardae in eam muri partem,  
qua Ignatius propugnabat,  
impacta,  
crus eius dextrum penitus confregit atque comminuit;

sinistrum vero  
lapis de muro vi globi labefactato excussus,  
graviter vulneravit.

Ignatio prostrato,  
reliqui omnes  
qui illius virtute nitebantur,  
spe defensionis abiecta,  
deditionem gallis fecerunt,  
a quibus captus Ignatius et in castra deductus,  
humaniter acceptus est,  
atque a medicis diligenter curatus.

[16] 4. Post aliquot dies  
liberaliter etiam ad suos dimissus,  
lecticariorum humeris in patriam revectus est.

Ibi cum vulnus,  
dextri praesertim cruris,  
in dies ingravesceret,

accersiti sunt denuo medici et chirurgi,  
qui tibiam rursus esse disiungendam censuerunt;  
ut quae ossa,  
sive aliorum medicorum incuria minus apte coagmentata,  
sive itineris agitatione luxata fuerant,  
suis locis restituta,  
coalescerent.

Quam excarnificationem ita pertulit,  
ut neque ingemisceret,  
neque vultum mutaret,  
neque ullum infirmioris animi signum ederet;

quod et antea et postea  
semper in reliquis corporis cruciamentis,  
quae passus est,  
fortiter praestitit.

Invallescebat interim morbus quotidie magis,  
eoque iam processerat,  
ut ab extremo vitae periculo  
non multum abesse videretur.

[17] 5. Itaque admonitus,  
peccatorum suorum confessionem fecit  
sacramentorumque armis se praemunivit  
pridie illius diei,  
qui beatissimis Apostolis Petro et Paulo sacer est.

Cum igitur res iam  
ad summum vitae discrimen adducta esset,  
mortemque imminere iudicarent medici,  
si ad mediam usque noctem nihil melius eveniret,  
ea ipsa hora vis morbi remitti aperte caepit;

quod non absque divinae providentiae consilio,  
divo Petro deprecatore factum credimus,  
quem praecipua, quadam Ignatius religione  
semper coluerat,

quemque adesse sanitatemque adferre,  
sibi videre visus est.

Depulso mortis periculo,  
ossa solidari iam caeperant et arctius constringi;

duo tamen supererant incommoda;

alterum efficiebat os sub genu relictum,  
quod extra prominebat foedius;

alterum tibiae contractae brevitatis,  
quae et recte illum incedere,  
et pedibus firmiter consistere prohibebat.

Quibus incommodis ut mederetur,  
cum elegantiae esset habitusque corporis studiosissimus,  
atque institutum militaris vitae cursum  
prosequi statuisset,  
ex medicis primum quaesivit,  
possetne os illud quod deformiter eminebat excidi?

Posse quidem affirmarunt,  
sed gravissimo tamen dolore,  
et omnium,  
quos in curatione tolerasset,  
maximo.

Verum ille nihilominus,  
ut suae voluntati satisfaceret,  
et (quod me audiente narravit)  
ut habiles atque elegantes urbanas ocreas gestare posset,  
secari os iussit;

neque a proposito abduci potuit,  
ligarique se omnino vetuit,  
eademque constantis animi firmitate  
cruciatum illum pertulit,  
qua superiores vicerat.

Atque hoc remedio deformitas ossis sublata est.

Tibiae contractio aliquantulum curata est,  
cum aliis medicamentis,  
tum machinis quibusdam,  
quibus magno multorum dierum dolore,  
continenter eius brevis protendebatur;

neque tamen usque adeo produci potuit,  
quin altera brevior aliquanto relinqueretur.

## QUA RATIONE A SAECULI VANITATE AD DEUM CONVERSUS SIT ~ CAPUT II

[18] 6. Interea cum in lecto iacere cogeretur,  
essetque in prophanis libris legendis  
multum temporis collocare solitus,  
aliquem eiusmodi librum sibi ad manum dari iussit,  
ut eius lectione tempus falleret.

Negantibus familiaribus  
domi eiusmodi esse libros,  
duos hispanica lingua scriptos accepit,  
ne prorsus ociosus esset,  
quorum alter Christi Salvatoris nostri,  
alter sanctorum vitas continebat.

Atque horum quidem librorum lectione,  
sensim eius animus immutari,  
et imitandi quae legebat studio quodam affici videbatur.

Sed quoniam anteactae vitae consuetudo  
corroborata erat,  
inanium rursus cogitationum concursu obruebantur,  
ne coalescerent  
illa tum primum excepta pietatis semina.

Aderat tamen militi suo divina misericordia,  
et consopitam virtutem exsuscitabat interdum,  
ludicrisque et fallacibus cogitationibus,  
veras solidasque cogitationes  
ex recenti lectione rursus obiiciebat.

Quibus commotus eius animus  
ad Christi et sanctorum imitationem  
tam vehementer accendebatur,  
ut nullis difficultatibus  
(quae multae occurrebant)  
ab eo proposito deterreretur.



[19] 7. In hac contrariarum cogitationum vicissitudine  
distrabatur in varias sententias,  
et ancipiti deliberandi cura,  
huc atque illuc impellebatur,  
cum mundus apud se retinere Ignatium conaretur,  
Christus vero ad se illum vocaret et traheret.

Erat tamen  
illud in hac cogitationum varietate discrimen,  
quod fluxae illae et vanae  
principia habebant laeta,  
exitus amaros.

Nam praesentes cum aderant,  
suaviter quidem sensibus blandiebantur,  
sed recedentes,  
quasi aculeo quodam infixio,  
mentem aridam et sibimet displicentem relinquebant.

At vero illae cogitationes de Deo,  
de Hierosolymitana profectioe,  
de vitae asperitate sectanda,  
de virtutis dignitate complectenda,  
non solum dum aderant  
iocunditatis plenissimae erant,  
verum etiam abeuntes  
praeclara relinquebant suae lucis et suavitatis impressa vestigia.

In quod discrimen  
a se multis quidem diebus praeteritum et incognitum,  
quodam die, divinitus illustratus,  
animum intendere coepit,  
et tum demum intelligere  
quantum inter utrasque cogitationes interesset.

Quam comparationem  
cogitationum cum cogitationibus  
et spiritus cum spiritu contentionem,  
primam omnium ratiocinationem fuisse perhibebat

earum

quas plurimas postea de divinis rebus Ignatius habuit.

[20] 8. Ex qua,

usu deinceps uberiore spiritualium rerum aucta,

omnium,

quas in Exercitiis tradidit de spirituum diversitate,

praeceptionum rivuli profluxerunt.

Etenim animadvertit primum duos esse spiritus,

Dei et mundi,

non solum diversos,

sed penitus etiam inter sese pugnantes;

tum diligenter observavit

utriusque spiritus proprietates.

Qua ex observatione,

divino munere

et lux consecuta in ratione est

ad eiusmodi spiritus discernendos ac diiudicandos,

et vis quaedam in voluntate excellens

ad ea quae mundus suggerit constanter repudianda,

ea vero appetenda et suscipienda

quae Dei spiritus proponit ac suadet.

Quae principia

in omnem postea vitam

diligentissime servavit.

In hunc igitur modum ab oculis depulsa caligine,

cum processus aliquos iam effecisset,

et assidua piorum librorum lectione

diuturnaue consideratione divinarum rerum,

quas animo conceperat,

se adversus omnes diaboli impetus obfirmasset;

caepit serio et graviter mutandae vitae cogitationem suscipere,

in mentem revocare peccatorum maculas,

ac secum expendere  
quibus illas suppliciis deleret.

Quod cum pia cogitatione versaret  
et sancta illa aemulandi Christum et sanctos viros  
desideria animo recurrerent,  
ad omnes difficultates perrumpendas  
satis ea se cogitatione munitum esse existimabat:

in Deo omnia potero;  
dat velle,  
dabit et perficere.

[21] 9. Cum igitur vitam commutare deliberatum  
ipsi iam esset atque constitutum,  
de nocte (ut solebat) surrexit  
e cubili ad orationem aliquando,  
anxia illa atque ancipiti deliberandi cura liberatus,  
ut sese  
perpetuum Deo atque suavissimum sacrificium  
offerret.

Dum autem ante imaginem immaculatae Virginis Mariae  
in genua procumbit,  
et ferventes atque humili fiducia mixtas preces  
benignissimo atque dulcissimo Filio  
per purissimam Matrem offert,  
seque spondet,  
vanitatis castris contemptis,  
in eius potestate fore,  
eius signa fortiter atque perseveranter sequuturum,  
sub illo Imperatore omnino meriturum;

ecce tibi,  
terrae motu de repente facto domus tota contremiscit,  
fragor ingens exauditur,  
cubiculum ubi Ignatius erat  
a fundamentis concutitur.

Itaque,  
quemadmodum locus  
in quo Apostoli orabant divinitus contremuit,  
et carcer,  
ubi Paulus et Silas vincti de nocte in oratione vigilabant,  
terraemotu concussus est,  
eoque signo declaravit Dominus  
et servorum suorum virtutem  
et orationis efficacitatem;  
sic nunc Ignatio orante et cubiculo contremiscente  
voluit fortasse idem Dominus  
ostendere Ignatii preces sibi gratas  
et ad impetrandum efficaces.

Vel certe quod in aliis historiis sanctorum legimus,  
daemon,  
iam victus ab Ignatio atque superatus,  
aufugit,  
et frendens ac fremens  
non obscura diritatis atque indignationis suae dedit signa.

[22] 10. Haec gesta sunt:  
certi tamen ab Ignatio nihil aliud constitutum est,  
nisi ut Hierosolymam, ubi convaluisset,  
proficisceretur,  
seque prius  
flagellis, ieiuniis et id genus asperitatibus  
generosa quadam indignatione conficeret.

Atque his desideriis tam incensis  
cogitationes illae sordidae et inanes  
paulatim refrigescebant.

Sed haec illius desideria excitata iam et confirmata,  
multo quam antea inflammavit ardentius  
praeclara quaedam atque admirabilis visio.

Nam vigilanti nocte quadam Ignatio,  
clarissima beatissimae Virginis Mariae,

una cum sancto puero Iesu species obiecta est;

qua aliquandiu permanente,  
mirifice recreatus est et divina quadam voluptate perfusus.

Unde tantum eum praeteritae vitae taedium coepit,  
maximeque earum rerum,  
quae cum obscoena delectatione coniunctae sunt,  
ut omnium impudicarum rerum imagines  
ex animo eius effluere omnino viderentur.

Et sane veram fuisse visionem ac fructuosam  
res ipsa comprobavit,  
cum ab ea hora ad extremum usque spiritum,  
castitatis integritatem divino beneficio conservaverit.

[23] 11. Haec meditantem  
et res maximas animo molientem,  
frater eius reliquique domestici,  
sui factum esse dissimilem  
non magno negotio deprehenderunt.

Quamvis enim animi sui sensum nulli detegeret,  
vultus tamen satis,  
illo tacente, loquebatur.

Cum praesertim accederet  
iugis precatio frequensque lectio,  
non iam sermones ludicri cum familiaribus,  
sed de divinis rebus  
pietatis gravitatisque plena colloquia,  
multa et diligens scriptio.

Scribebat enim pulcherrima quaeque,  
ac maxime insignia  
Christi, beatae Virginis aliorumque sanctorum  
tum verba, tum facta,  
et in librum perpolitum atque elegantem,  
memoriae causa,

quam optimis litterarum notis referebat.

Et quidem aureis litteris Christi,  
puniceis beatae Virginis,  
variis coloribus reliquorum sanctorum exempla.

Sed quanquam ex hisce occupationibus  
magnam ipse voluptatem caperet,  
illa tamen erat maxima,  
quam ex fixo coeli stellarumque omnium percipiebat aspectu,  
quod quidem,  
et saepe et diu faciebat,  
quod se vehementer accendi ad Deo serviendum,  
coelestium orbium contemplatione sentiret;

quod non eo solum tempore,  
sed in omni postea vita servavit.

Audivimus enim saepe illum,  
extrema etiam senectute,  
cum in coelum,  
qua liber circumspectus erat,  
oculos sustulisset  
eosque aliquantisper fixos habuisset,  
obortis prae laetitia lachrymis,  
dicentem:  
Heu quam sordet terra,  
cum coelum aspicio.

Hoc eodem tempore  
in piis exercitationibus, quas diximus, versanti  
et animum ad maiora paranti,  
illa etiam cogitatio subit,  
quidnam,  
Hierosolymis rediens,  
potissimum facturus esset.

Exquirebat enim optimum vitae statum,  
in quo totum se,

omnibus rebus posthabitis,

collocaret;

et summa parsimonia atque austeritate victus maceraret.

## EX PATRIA IN MONTEM SERRATUM PROFICISCITUR ~ CAPUT III

[24] 12. Sanitate utcunque recuperata,  
specie quidem ducis Naiarae invisendi  
(quocum magna erat Loioleae familiae vetusque coniunctio),  
sed revera ut egrederetur  
de domo et cognatione sua,  
profectionem parat Ignatius.

Quem Martinus Garsia,  
frater natu maximus et familiae caput,  
rem odoratus,  
sevocat in interius cubiculum  
rogat et obtestatur  
ne se suosque omnes perditum eat,  
etiam atque etiam cogitet  
quam directum ad gloriam iter sit ingressus,  
quas res gesserit,  
qua spe et animi et ingenii sit.

Omnia, inquit, in te magna sunt:  
ingenium, iudicium, animus, nobilitas,  
gratia principum, civium benevolentia,  
rei militaris usus, prudentia;  
ad haec, florens ac firma aetas,  
magna expectatio omnium.

Siccine tot spes,  
tam solidas, tam florentes evertes?

omnium expectationem falles?

familiam nostram  
tot ornamentis,  
quae tibi caeptam viam insistenti sunt proposita  
spoliabis?

Etsi ego aetate,



tu tamen auctoritate maior es.

Vide, quaeso, ne quid in te admittas,  
quod non solum  
speratum nobis nostraeque familiae decus adimat,  
sed etiam  
ignominiae notas inurat.

[25] 13. Ad haec Ignatius breviter  
se sui maiorumque suorum esse memorem,  
daturum operam  
ne  
ab illis degenerasse,  
aut familiae suae splendorem obscurasse  
videatur.

Quibus verbis non tam placavit animum fratris,  
quam illum ab se excussit atque itineri se dedit.

In hoc igitur itinere  
quod ad beatae Virginis aedem  
in Monte Serrato fecit,  
duobus ab se famulis dimissis,  
singulis se noctibus  
verberibus graviter afficiebat;  
quod quidem ab eo die,  
qui initium profectionis fuit,  
semper in itinere servavit.

Et ut intelligamus  
quibus Deus quasi gradibus  
in milite suo  
rerum divinarum cognitionem animique virtutem  
auxerit,  
hoc ille tempore  
minime sane investigabat  
quid caritas, quid humilitas, quid patientia,  
quid sui contemptio,  
quae cuiusque virtutis vis et natura esset,

quibus finibus temperantiae modum circumscriberet,  
quid ratio, quid spiritalis prudentia postularet;

sed id complexus  
quod optimum tunc videbatur  
et praesenti statui maxime congruebat,  
totus in eo erat,  
ut res maximas et maxime arduas,  
quae positae sunt in corporis afflictatione,  
perficeret;

idque hac ratione ductus  
decernebat,  
quod ad hanc normam  
sancti viri  
(quos sibi ad imitandum proposuerat)  
se conformassent.

Nam iam tum ita Deus regebat Ignatium,  
ut id semper spectaret,  
id quaereret  
quod ad maximam Dei gloriam fore iudicaret,  
idque antiquissimum semper habuit.

Illa tamen accessio iam facta erat,  
ut in iis corporis acerbitatibus consecrandis,  
non tam peccatorum suorum,  
quam Deo placendi rationem duceret.

Itaque,  
detestabatur ille quidem praeteritae vitae crimina,  
in iis tamen poenis,  
quas ad illa diluenda sponte subibat,  
tam erat accensus  
et Deo gratificandi studio quodam inflammatus,  
ut illas cum susciperet,  
non tam peccata,  
quam Dei honorem atque gloriam  
sibi poneret ante oculos.

[26] 14. Pergentem caepto itinere Ignatium  
et recta Montem Serratum versus progredientem,  
sarracenus quidam sive maurus assecutus est.

(Erant per id tempus in Hispania Tarraconensi adhuc  
aliqui ex antiquis eius gentis reliquiis).

Cum una irent,  
incidit (ut fit) illis sermo  
de virginitate beatæ Virginis Mariæ,  
quam cum in conceptu Filii concederet maurus,  
a partu negaret,  
ad eamque rem naturales rationes aliquot adferret,  
neque ad veritatem flecti posset ab Ignatio,  
celeriter præcessit,  
solumque Ignatium reliquit,  
haerentem diu multumque dubitantem,  
utrum ab se pietas christiana exigeret,  
ut maurum consequeretur et pugione confoderet,  
quod de beatissima et immaculata Virgine  
coram se ignominiose locutus fuisset.

Homo quippe militaris  
et fallaci veri honoris imitatione olim delusus,  
dedecori sibi esse ducebat,  
si quid a religionis christianæ inimico, se audiente,  
de inviolata sacrosanctæ Virginis integritate  
impune detraheretur.

[27] 15. Quæ quidam cogitatio, in speciem pia,  
diu multumque rudem tunc Christi militem torsit,  
in eamque deliberationem tandem induxit,  
ut ubi ad bivium  
(unde e via publica ad oppidum vicinum  
maurus declinarat)  
constitisset,  
habenas mulæ, qua vehebatur, permetteret,  
et si ad locum, ubi maurus erat, diverteret,

quaesitum illum atque inventum interficeret;  
sin recta pergeret, omitteret.

Atque ita divina providentia factum est,  
ut iumentum lata facilique via praetermissa,  
suum iter sequeretur.

Ut omnes intelligant,  
quibus initiis quibusque progressibus,  
Deus militem suum ad extrema perduceret.

Nam, ut ait D. Augustinus,  
animae virtutis capaces ac fertiles  
praemittunt saepe vitia,  
quibus hoc ipsum indicent  
cui virtuti sint potissimum accomodatae,  
si fuerint praeceptis excultae.

Unde et Moyses interficiens aegyptium,  
adhuc incultus, vitiosa quidem,  
sed magnae fertilitatis signa fundebat.

[28] 16. Cum igitur non longe a Monte Serrato abesset, in pagum quendam pervenit,  
ubi eum vestitum emit,  
quem Hierosolymam proficiscens gestare decreverat,  
talarem videlicet ex canabina tela aspera et aculeata  
in modum sacci tunicam;  
pro militari balteo funem,  
calceos ex sparto contextos,  
baculum peregrinantis insigne,  
et ad aquae usum cucurbitulam.

Quoniam vero carnis suae imbecillitatem extimescens  
sibi ipse diffidebat  
(quamvis et divino viso erectior  
et Deo placendi studio multo  
iam esset confirmatior)  
spes suas in beatissimae Virginis patrocinio defigens,  
castitatis voto in hoc itinere sese obstrinxit,

eamque perpetuam  
Christo et castissimae atque purissimae eius Matri,  
fervens spiritu consecravit;

cuius beneficio eam prorsus integram  
(ut paulo ante dictum est)  
semper obtinuit,  
tantum et devotionis ardor  
et pium ipsius Virginis patrocinium apud Deum valet.

## IN SERRATO MONTE VESTITUM MUTAT ~ CAPUT IV

[29] 17. Ut venit in Serratum Montem

(is locus Dei Genitrici dicatus  
itinere unius diei Barcinone distat,  
estque peregratio Benedictinae familiae coenobio  
et religionis causa  
eo confluentium concursu maxime celebris),  
ibi optimo confessario  
totius vitae suae crimina  
per triduum ex scripto confessus est,  
illique homini omnium primo  
animi sui propositum aperuit.

Iumentum reliquit,  
gladium pugionemque,  
quibus mundo meruerat,  
ante aram beatissimae Matris Dei appendi iussit.

Pridie vero eius diei,  
qui hominibus, Verbo Dei incarnato,  
salutis initium attulit,  
anni 1522,  
noctis tenebris tectus,  
quam occultissime potuit,  
ad mendicum quendam pannosumque hominem adit,  
suas vestes sibi detractas illi dono dat,  
ipse vero optato illo suo vestimento induitur  
et ad sacram divinae Matris aram consistit.

Cum autem in prophanis libris legisset  
ritum quo novi milites olim inaugurabantur,  
ut eius ritus imaginem quandam  
spiritaliter in se repraesentaret,  
novis contra diabolum armis accinctus,  
partim stans, partim in genua procumbens,  
totam noctem illam  
coram sacratissimae Dei Genitricis imagine

insomnem duxit, se illi commendans,  
sua flagitia deflens, meliora animo concipiens;

ac ne a quopiam agnosci posset,  
mane ante lucem  
(non quidem recto itinere,  
quod Barcinonem ducit,  
sed deflexo)  
in oppidum Minoressam, quae hodie Manresa dicitur,  
et a Monte Serrato novem passuum millibus distat,  
festinus divertit,  
vili tegumento ex tela (ut diximus) tectus,  
baculo armatus, fune praecinctus,  
nudo capite et pede altero.

Nam alterum,  
quod ex recenti vulnere infirmum haberet  
adhuc et crus fasciis convolutum,  
singulis noctibus intumesceret,  
calceo adversus coeli solisque iniuriam  
muniendum sibi  
existimavit.

[30] 18. Vix a Monte Serrato  
tria passuum millia processerat,  
cum illum inusitato gaudio expletum  
et novi habitus laetitia gestientem,  
homo quidam curriculo consecutus  
percontari coepit  
dedissetne dono vestes suas egeno cuidam,  
quem hoc ipsum affirmantem  
praetor in vincula coniecisset,  
furto ab eo sublatas arbitratus?

His auditis Ignatius vultum vocemque mutavit  
et lachrymas etiam profudit,  
illud apud se etiam atque etiam cogitans,  
ne potuisse quidem se  
sine damno alterius et iniuria benefacere.

Ex quo periculo,  
ut immerentem hominem eriperet,  
vestes se dedisse confessus est;  
neque tamen  
quisnam, unde, cuias esset interrogatus,  
aliud respondit,  
cum haec  
ad miseri hominis liberationem  
nihil pertinerent.



## DE VITA AB EO MANRESAE INSTITUTA ~ CAPUT V

[31] 19. Manresam ubi pervenit,  
in xenodochio mendicorum hominum  
pedem primo fixit,  
ibi sese  
ad strenue secum et cum diabolo decertandum  
comparavit,  
nihilque prius habuit, quam  
ut genus suum praeteritaeque vitae rationem occultaret  
et omnibus ignotus delitesceret.

Vestitus is erat,  
quem supra diximus;  
sed quod  
in capillo curando comendoque,  
et reliquo corpore exornando  
curiosior in saeculo fuerat,  
ut nimium cultum diligenti neglectu compensaret,  
caesariem,  
quam pro illius saeculi more elegantem habebat,  
solutam et impexam reliquit;  
caput diu noctuque semper nudum habuit;  
ungues, et barbam  
excrescere per incuriam sivit;

ter se praeterea diebus singulis acriter verberabat,  
septem horas in oratione, fixis humi genibus, ponebat,  
idque magno studio et ardenti.

Missae sacrificio,  
Vesperarumque et Completorii precationibus intererat,  
ex eaque re  
magnam capiebat animo voluptatem.

[32] 20. Cogebat quotidie stipem,  
aqua et pane vitam tolerabat,  
carnibus vinoque semper abstinens,

omnibus diebus, praeterquam Dominico, ieiunans,  
humi cubitans, noctis maximam partem vigilans,  
singulis diebus Dominicis peccata sua confessione eluens,  
et sacrae synaxis praesidio sese confirmans,  
tam impense corpus suum in servitatem redigens,  
ut quicquid oblectationem ullam corpori posset adferre,  
studiose refugeret.

Quocirca  
cum esset maximis viribus  
et corporis firmitate praestans,  
brevis vigor omnis eius emarcuit,  
et hac vitae acerbitate non mediocriter debilitatus est.

His rebus fiebat  
ut hominum animos in se converteret et alliceret,  
qui plurimi cum ad eum venirent  
in illiusque se familiaritatem insinuare cuperent,  
multo etiam magis eius sermonibus inflammabantur.

Nam etsi rerum adhuc erat spiritalium rudis  
et parum in virtutum exercitatione versatus,  
iis tamen erat facibus divini amoris incensus,  
ut facile, quod intus continebat, se foras efferret.

[33] 21. Itaque eius ardens de divinis rebus sermo,  
ac vehemens ad virtutem cohortatio  
cum sanctae vitae exemplo coniuncta,  
animos hominum et Deo conciliare,  
et sibi ipsi benevolentia devincire,  
atque etiam admiratione suspendere,  
Spiritu Sancto iuvante, facile poterat.

Cum eo praesertim accederet  
pervulgata iam eius nobilitatis opinio,  
quae rumoribus aucta,  
supra veritatem etiam (ut mos est)  
multorum sermone celebrabatur.

Permanarat enim, rumore nuntio,  
quod in Serrato Monte remotis arbitris,  
Ignatius fecerat,  
et quamvis ipse lucernam sub modio absconderet,  
Dominus tamen eam super candelabrum ponebat,  
ut luceret omnibus.

End of the sample selection of the original Latin text.

A full English translation of the entire work is available at the Institute of Jesuit Sources (Boston College).

*<http://jesuitsources.bc.edu/the-life-of-ignatius-of-loyola/>*